

De Tertulliani adversus Judaeos libro.

Programma

Gymnasii Augustani ad St. Stephani

MDCCCXCVII

scripsit

Dr. P. Josephus Maria Einsiedler, O. S. B.

Augustae Vindelicorum.

Typis Ph. J. Pfeifferi.

MDCCCXCVII.

gau
5 (1897)



Subsidio fuerunt hi libri:

- Pseudo-Augustinus, Quaestiones ex vetere testamento. Ed. Migne P. I. tom. 35.
- Bardenhewer, Patrologie. Freiburg i. B. 1894.
- Bludau, De Alexandrinae interpretationis libri Danielis indole critica et hermeneutica. P. I. Monasterii Guestf. 1891.
- Bludau, Theolog. Quartalschrift. 79. Jahrgang. 1. Quartalheft. 1897.
- Boehrer, Die Kirche Christi und ihre Zeugen oder die Kirchengeschichte in Biographien. 2. Aufl. Bd. 3. 1864.
- Bonwetsch, Die Schriften Tertullians nach der Zeit ihrer Abfassung. Bonn 1878.
- Burkitt, The old Latin and the Itala. Cambridge 1896.
- P. Corssen, Die Altercatio Simonis Judaei et Theophili Christiani. Jever 1890.
- Grottemeyer, Jahresbericht des Gymnasium Thomaeum zu Kempen. 1865.
- Harnack, Altchristliche Litteraturgeschichte. 1. T. Leipzig 1893.
- Harnack, Die Altercatio Simonis Judaei et Theophili Christiani, Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Litteratur von Gebhardt und Harnack. I. 3. 1883.
- Harnack, Tertullian in der Litteratur der alten Kirche. Berliner Sitzungsberichte 1895.
- S. Hieronymi Comment. in Daniel. Ed. Migne. P. I. t. 5.
- Hauck, Tertullians Leben und Schriften. Erlangen 1877.
- S. Justini opp. ed. de Otto. Jenae 1876.
- Kellner, Tertullians sämtliche Schriften übersetzt. Köln 1882.
- Kellner, Über die sprachlichen Eigentümlichkeiten Tertullians. Theolog. Quartalschrift. Bd. 58. 1876.
- Kroymann, Quaestiones Tertullianae criticae. Oenip. 1894.
- Krüger, Geschichte der altchristlichen Litteratur während der ersten drei Jahrhunderte. Freiburg i. B. u. Leipzig 1895.
- Neander, Antignostikus. 2. Aufl. Berlin 1849. Exkurs S. 511 ff.
- Novi testamenti Graeci supplementum Editionibus De Gebhardt—Tischendorfianis accommodavit Eberhardus Nestle. Lipsiae 1896.
- Noeldechen, Tertullian. Gotha 1890.

- Noeldechen, Tertullians Gegen die Juden, Auf Einheit, Echtheit und Entstehung geprüft, Texte und Untersuchungen von Gebhardt und Harnack XII. 2. Leipzig 1894.
- Roensch, Das Neue Testament Tertullians, aus dessen Schriften möglichst vollständig rekonstruiert. Leipzig 1871.
- Schmidt, De latinitate Tertulliani. Erlangen 1870.
- Tertulliani apologeticum, ed. Léonard, Namur 1881. p. 19 sqq. Notions grammaticales.
- Tertulliani opp. ed. Franciscus Öhler. 3 Bd. Leipzig 1853—54.
- Thielmann, „Habere mit dem Infinitiv und die Entstehung des romanischen Futurums.“ Archiv für Lexikographie und Grammatik. Herausgegeben von Eduard Wölfflin. 2. Jahrgang. Leipzig 1885. S. 48—89; 157—202.
- Vincenti Lerinensis Commonitorium, ed. Migne P. 1. t. 50.
- 

Tertullianus inter omnes, qui primis post Christum natum saeculis ecclesiam Christianam defenderunt, principem locum obtinet. Doctrinam enim Christianam amplexus summo studio omnia consilia atque facta ad eius praecepta referebat et omnibus ingenii sui facultatibus ecclesiae servire volebat. Hanc omnibus viribus semper tueri atque defendere cum sibi proposuisset, tota eius vita certamen continuum evasit. Modo gentium opprobria inania esse demonstravit, modo haereticorum placita refutavit, modo Judaeis promissa iam impleta esse ostendit.

In libris eo consilio compositis et maximam partem servatis liber adversus Judaeos scriptus numerandus est. Quo Tertullianus, ut Judaeorum superbiam contunderet, comprobavit gratiam divinam omnibus hominibus, et Judaeis et gentibus, esse datam, ex vaticiniis testamenti veteris elucere, legem Moysaicam ad tempus tantum valuisse et novi legislatoris hoc est Messiae adventu abrogatam esse.

Hic ipse liber recentiorum hominum doctorum animos multum ad se convertit eisque magna negotia facessivit, ut valde inter se dissentirent. Semler quidem (Edit. Öhler. t. III. p. 639—657) primus eo diligentius examinato iniquum iudicium fecit. Similiter Boehringer totum opusculum male compositum et a Tertulliano longe alienum esse putavit. (l. c. p. 740.)

Alii octo priora huius libri capita a Tertulliano scripta, cetera compilatori cuidam adscribenda esse existimaverunt. Neander quidem nonnullis locis subtilius discussis capita 9—14 excepto initio cap. 9. spuria esse contendit (l. c. excurs.). Contra Corssenius nonnullis locis exceptis non solum capita 9—14, sed etiam finem cap. 8. reiecit (l. c. p. 9.).

Neque tamen defuerunt, qui totum opusculum Tertullianotribuendum esse censerent ut Kaye (Tertull. opp. ed. Öhler. t. III. p. 727 et 728) et Grotemeyer (l. c.). Nuperrime denique Noeldechenius, qui per totam vitam in huius scriptoris operibus

versabatur, hanc litem subtilissime diremissee et Tertullianum omnia capita scripsisse gravissimis argumentis probasse sibi videbatur.

In tanta igitur opinionum diversitate non alienum esse videtur, hunc librum denuo diligentius atque prolixius examinare et imprimis inquirere, quam proxime Noeldecheni sententia ad veritatem accesserit.

Si quis vel obiter hoc opusculum percucurrerit, octo capita priora (usque ad haec verba c. 8. extrem: „Erat enim praedictum exterminari illic unctionem . . .“ Öhl. II. 719. cf. infra pars II. c. 2. I.) multum differre a sequentibus nullo negotio intellet. Nam cum in illis res et verba inter se congruant, in his multa inveniet, quae minime ei probabuntur. Quae cum ita sint, quaerendum est, utrum hae duae partes inter se conciliari possint, an adeo discrepent, ut hoc fieri nequeat. In hac igitur quaestione solvenda utramque partem seperatim pertractabimus, ut earum naturam cognoscamus et in fine huius commentationis iustum iudicium de universo libro feramus.

Pars I.

De cap. 1 — 8 disputatio.

Cap. I.

De veterum testimoniis.

Tertullianum librum aliquem adversus Judaeos scripsisse quis est qui neget? Nonne obloqueretur eis, quae posteriores de hac re scripserunt? Vincentius quidem Lerinensis in Commonitorio 18(24), 47 (Harnack, *Altchristl. Litt.* I. 685) cum alia tum haec de Tertulliano dicit:

„Jam porro orationis suae laudes quis exequi valeat, quae tanta, nescio qua, rationum necessitate conserta est, ut ad consensum sui, quos suadere non potuerit, impellat: cuius quot paene verba tot sententiae sunt; quot sensus tot victoriae? Sciunt hoc Marciones, Apelles, Praxeae, Hermogenes, Judaei, Gentiles, Gnostici ceterique, quorum ille blasphemias multis ac magnis voluminum suorum molibus velut quibusdam fulminibus evertit.“¹

Neque tamen ex hoc testimonio hunc librum, de quo agitur, a Tertulliano scriptum esse apparet.

Quod magis elucet ex illo opere Pseudo-Augustino, quod inscribitur, „Quaestiones ex vetere testamento“ (l. c. col. 2243; Harnack, *Berliner Sitzungsberichte* 1895, S. 574). Illic enim dicitur: „Et si tempus repromissionis requirant (sc. Judaei) sicut in Daniele propheta ostensum est, invenient impletum tempore, quo natus et passus est Christus Quomodo etiam a Tertulliano computatum invenitur in libro, quem scripsit adversus Judaeos“. Quod ad cap. 8. Tertulliani adversus Judaeos libri pertinere apparet, in quo copiose illud computavit.

Jam vero gravissimum argumentum hoc est, quod S. Hieronymus Tertulliani adversus Judaeos librum bis laudavit.

Scriptum enim in 'Chronica' ad annum 2014 (Harnack, Berliner Sitzungsber. 1895, S. 569): 'Tertullianus in eo libro, quem contra Iudaeos scribit, affirmat, Christum XLI. anno Augusti natum et XV. Tiberii esse passum'. In enarratione autem in Daniele (V 691 ed. Vallarsi; Harnack, Altchristl. Litt. I. p. 681; Berliner Sitzungsber. 1895 S. 572) etiam quomodo Tertullianus Daniel. 9, 21—27 interpretatus sit, memoriae prodit et longum locum ex cap. 8 libri Tertulliani affert. Qui cum paucis exceptis ad verbum cum iis consentiat, quae Tertullianus l. c. scripsit, optimo iure hunc locum et cetera, quae cum eo cohaerent, non spuria esse conicere possumus.

Cap. II.

De causis ex ipso libro petitis.

Sed etiam ex insitis causis haec octo capita Tertulliano tribuenda esse luculentissime apparet. Omnia enim inter se coniuncta atque copulata sunt, aliud ex alio pendet. Tertullianus legem omnibus hominibus a deo datam esse atque legem Moysaicam ad tempus tantum homines obstrinxisse demonstraturus est. Quare ex prophetiis veteris testamenti et novam legem promissam esse et circumcisionem carnalem et sabbatum et sacrificia terrestria sublatum iri probat. Deinde utrum novus legislator iam venerit an adhuc expectandus sit, inquirere parat. Ad hanc rem recte indagandam vaticinia testamenti veteris perscrutatur eaque confert cum eis, quae postea evenerunt. Veluti ex eo quod omnes totius orbis terrarum gentes tum doctrinam Christianam sequebantur illud Isaiae 45, 1: 'Sic dicit dominus deus Christo meo domino, cuius tenui dexteram, ut exaudiant illum gentes: fortitudines regum dirumpam, aperiam ante illum portas, et civitates non claudentur illi' impleri dicit esse manifestum. Deinde accuratissima computatione tum ipsum et Christum natum esse atque passum et Hierosolyma deleta esse ostendit, cum haec eventura esse Daniel propheta praedixerit.

Praeterea saepe in aliis Tertulliani libris ea quae in libro adv. Iudaeos composito scripta sunt inveniuntur, velut adv. Marc. I 20; IV 1.

Deinde non solum adv. Jud. c. 1., sed etiam adv. Marc. III 24 Rebeckae filii Esau et Jacob Judaeorum et Christianorum figurae esse dicuntur:

adv. Jud. c. 1. (II 701 sq.) *)

Qui promiserit quod ex utero Rebeckae duo populi et duae gentes essent processurae, utique Judaeorum, id est Israelis, et gentium, id est nostrae Prior et maior populus, id est Judaeus, serviat necesse est minori, et minor populus, id est Christianus, superet maiorem.

adv. Marc. III 24 (II 157).

Jacob, qui quidem posterioris et praelatioris populi figura est, id est nostri Judaeorum enim dispositio in Esau, priorum natu et posteriorum affectu filiorum.

Simili modo Enoch de hoc mundo translatus esse legimus adv. Jud. c. 2. 4. de resurr. carn. c. 58. de an. c. 50.

adv. Jud. c. 2. (II 705): ,Nam et Enoch iustissimum, de hoc mundo transtulit, qui necdum mortem gustavit, ut aeternitatis candidatus iam nobis ostenderet nos quoque sine legis onere Moysis deo posse placere'.

ibid. c. 4. (II 708): ,Denique doceant aut Enoch translatus sabbati cultorem fuisse'.

de resurr. carn. c. 58. (II 545): ,Quod hodie Enoch et Helias, nondum resurrectione dispuncti, quia nec morte functi, qua tamen de orbe translati et hoc ipso iam aeternitatis candidati, emunitatem carnis ediscunt'.

de an. c. 50. (II 636): ,Translatus est Enoch et Helias, nec mors eorum reperta est, dilata scilicet. Ceterum morituri reservantur, ut antichristum sanguine suo extinguant'.

Tum ad hanc quaestionem recte solvendam multum conferre equidem puto, quod Tertullianus S. Justini opera excerptis (de Otto l. c. p. 595). Unde factum est, ut Justini errorem quendam nescius atque nolens sequeretur. Scripsit enim S. Justinus Dialog. c. 33 (de Otto l. c. p. 110): *Κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ εἶναι ἐδήλωσε, τουτέστιν, ὃν τρόπον ὁ Μελχισεδὲκ ἱερεὺς ὑψίστου ὑπὸ Μωϋσέως ἀναγράφεται γεγενῆσθαι, καὶ οὗτος τῶν ἐν ἀκροβυστία ἱερεὺς ἦν, καὶ τὸν*

*) In locis afferendis semper edit. Öhler. maiorem adhibuimus.

ἐν περιτομῇ δεκάτας αὐτῷ προσενέγκαντα Ἀβραὰμ εὐλόγησεν.

At Abraham tum nondum circumcismus fuisse, cum a Melchisedech benedictionem acciperet, ex eo ordine, quo in S. Scriptura res positae sunt, apparet. Scriptum est enim Gen. 14, 18 (sec. LXX interpret.):

„Καὶ Μελχισεδὲκ βασιλεὺς Σαλήμ ἐξήνεγκεν ἄρτους καὶ οἶνον· ἦν δὲ ἱερεὺς τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου· Καὶ εὐλόγησε τὸν Ἀβραάμ“.

et Gen. 17, 10. „Καὶ εἶπεν ὁ θεὸς πρὸς Ἀβραάμ· Σὺ δὲ τὴν διαθήκην μου διατηρήσεις, σὺ καὶ τὸ σπέρμα σου μετὰ σὲ εἰς τὰς γενεὰς αὐτῶν. Καὶ αὕτη ἡ διαθήκη, ἣν διατηρήσεις ἀνὰ μέσον ἐμοῦ καὶ ὑμῶν καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματός σου μετὰ σὲ εἰς τὰς γενεὰς αὐτῶν. Περιτμηθήσεται ὑμῶν πᾶν ἀρσενικόν“.

Hic ipse error et adv. Marc. V. 9. et adv. Jud. 3. invenitur.

adv. Marc. V 9 (II 301):

„Secundum ordinem, inquit, Melchisedech. Quid Ezechias ad Melchisedech altissimi sacerdotem, et quidem non circumcismus, qui Abraham circumcismus iam accepta decimarum oblatione benedixit“?

adv. Jud. 3. (II 705):

„Denique sequentes patriarchae incircumcisi fuerunt ut Melchisedech, qui ipsi Abrahae iam circumciso revertenti de proelio panem et vinum obtulit incircumcismus“.

Num temere factum est, ut hic error in utrumque librum irreperet? Nonne potius unum eundemque scriptorem utrumque composuisse inde colligere possumus?

Accedit quod simili argumentandi ratione adv. Jud. c. 2. legem Adae et Evae in paradiso datam omnia posterioris legis Moysaicae praecepta continuisse ostendit, qua de idol. c. 1. idololatren omnia dei praecepta transgredi probat.

adv. Jud. c. 2. (II 703): „In principio mundi ipsi Adae et Evae legem dedit, ne de fructu arboris plantatae in medio paradisi ederent, quod si contra fecissent, morte morerentur. Quae lex eis sufficeret, si esset custodita. In hac enim lege Adae data omnia praecepta condita recognoscimus, quae postea pullulaverunt data per Moysen . . . Primordialis enim lex est data Adae et Evae in paradiso quasi matrix

omnium praeceptorum dei. Denique si dominum deum suum dilexissent, contra praeceptum eius non fecissent; si proximum diligenter, id est semetipsos, persuasioni serpentis non credidissent, atque ita in semetipsos homicidium non commisissent, excidendo de immortalitate, faciendo contra dei praeceptum; a furto quoque abstinuissent, si de fructu arboris clam non degustassent, nec a conspectu domini dei sui sub arbore delitescere gestissent, nec falsum asseveranti diabolo participes efficerentur, credendo ei, quod similes dei essent futuri, atque ita nec deum offendissent, ut patrem, qui eos de limo terrae quasi ex utero matris figuraverat; si alienum non concupissent, de fructu illicito non degustassent¹.

de idolol. c. 1. (I 67): ‚Etsi suam speciem tenet unumquodque delictum, etsi suo quoque nomine iudicio destinatur, in idololatriae tamen crimine expungitur. Omitte titulos, opera recognosce, idololatres item homicida est. Quaeris, quem occiderit? Si quid ad elogii ambitionem facit, non extraneum nec inimicum, sed ipsum se. Quibus insidiis? Erroris sui. Quo telo? Offensa dei. Quot plagis? Quotquot idololatriis. Qui negat idololatren perisse, is negabit idololatren homicidium fecisse. Proinde adulterium et stuprum in eodem recognoscas; nam qui falsis deis servit, sine dubio adulter est veritatis, quia omne falsum adulterium est. Sic et in stupro mergitur. Quis enim immundis spiritibus cooperator non conspurcatus et constupratus incedit? Atque adeo scripturae sanctae stupri vocabulo utuntur in idololatriae exprobratione. Fraudis condicio ea est, opinor, si quis alienum rapiat aut alii debitum deneget, et utique erga hominem admissa fraus maximi criminis nomen est. At enim idololatria fraudem deo facit honores illi suos denegans et conferens aliis, ut fraudi etiam contumeliam coniungat².

Quid quod huius libri compositio eadem est, quae in multis aliis Tertulliani scriptis invenitur? Velut prooemium illius simile est, a quo ‚de fuga in persecutione‘ scribere incipit. Legimus enim: adv. Jud. c. 1. (II 701): ‚Proxime accidit, disputatio habita est Christiano et proselyto Iudaeo. Alternis vicibus contentioso fune uterque diem in vesperam traxerunt. Obstrepentibus etiam quibusdam ex partibus singulorum nubilo quodam veritas obumbrabatur. Placuit ergo, quod per con-

centum disputationis minus plene potuit dilucidari, inspicere curiosius et lectionibus stilo quaestiones retractatas terminare⁴.

de fuga in persecut. c. 1. (I 461): „Quaesisti proxime, Fabi frater, fugiendum necne sit in persecutione, quod nescio quid annuntiaretur. Ibidem ego oblocutus aliquid pro loco ac tempore et quarundam personarum importunitate semi-tractatam materiam abstuli mecum plenius eam de stilo nunc renuntiaturus, utpote quam mihi tua consultatio commendarat et condicio temporum suo iam nomine iniunxerat⁵.

Utroque igitur loco scriptor a disputatione, quam nuper factam esse dicit, exordium sumit; in qua cum prae partium studio veritas minus plene apparuerit, eandem rem libro accuratius se tractaturum profitetur.

Neque illud puto esse omittendum quod Tertullianus, cum novam rem aggreditur, id breviter significare solet, ut, quid dicturus sit, statim initio singulorum capitum cognoscamus. Quin etiam et ea, quae scripsit paucis verbis repetit et ea, quae scripturus est, annuntiat.

adv. Jud. c. 2. (II 703): „Igitur gradum conferamus et summam quaestionis ipsius certis lineis determinemus. Cur etenim deus legem per Moysen uni populo dedisse credatur et non omnibus gentibus attribuisse dicatur⁶.

c. 3: „Sed Abraham, inquit, circumcisis est⁷.

c. 4: „Sequitur itaque, ut, quatenus circumcisionis carnalis et legis veteris abolitio expuncta suis temporibus demonstratur, ita sabbati quoque observatio temporaria fuisse demonstretur⁸.

c. 5: „Sic et sacrificia terrenarum oblationum et spiritualium sacrificiorum praedicata ostendimus⁹.

c. 7: „Igitur in isto gradum conseramus (= cod. Fuld.; reliqui: conferamus) an qui venturus adnuntiabatur Christus iam venerit, an venturus adhuc speretur. Quod ipsum ut probari possit, etiam tempora sunt nobis requirenda quando venturum Christum prophetae adnuntiaverunt¹⁰.

c. 8: „Itaque requirenda tempora praedictae et futurae nativitatis Christi et passionis eius et exterminii civitatis Hierusalem Venturi itaque Christi ducis sunt tempora requirenda, quae investigabimus in Daniele, quibus computatis probabimus venisse eum etiam ex temporibus praescriptis et

ex signis competentibus et ex operationibus eius. Quae probamus et ex consequentibus, quae post adventum eius futura adnuntiabantur, ut tam adimpleta omnia quam prospecta credamus'.

Hoc ex ceteris Tertulliani scriptis probare longum est. Satis sit monere, plurima exempla (velut in III. adv. Marc. libro) inveniri.

Praeterea comparare velis hos locos, quibus scriptor et ea, quae explanavit, strictim repetit et ea, quae explanaturus est, breviter praedicit.

adv. Jud. c. 6. (II 711): 'Igitur cum manifestum sit et sabbatum temporale ostensum et sabbatum aeternum praedictum, circumcisionem quoque carnalem praedictam et circumcisionem spiritalem praeindicatam, legem quoque temporalem et legem aeternalem denuntiatam, sacrificia carnalia et sacrificia spiritalia praeostensa, sequitur, ut superveniret tempus, quo legis antiquae et ceremoniarum veterum praecepta cessarent et novae legis promissio et spiritalium sacrificiorum agnitio et novi testamenti pollicitatio superveniret Itaque necessitas nobis incumbit, ut ostendere et probare debeamus tam legem illam veterem cessasse quam legem novam promissam nunc operari. Et quidem primum quaerendum, an expectetur novae legis lator . . . Hic inquam novae legis lator . . . quaerendum an iam venerit necne Et in primis definiendum est non potuisse cessare legem antiquam et prophetas, nisi venisset is qui per eandem legem et per eosdem prophetas venturus adnuntiabatur'.

de spectacul. c. 4. (I 24): 'Commemorabimus origines singulorum (sc. spectaculorum), quibus in cunabulis in saeculo adoleverint, exinde titulos quorundam, quibus nominibus nuncupentur, exinde apparatus, quibus superstitionibus instruantur, tum loca, quibus praesidibus dicentur, tum artes, quibus auctoribus deputentur'.

ibid. c. 13. (I 42): 'Satis opinor implevimus ordinem, quot et quibus modis spectacula idololatriam committant, de originibus, de titulis, de apparatus, de locis, de artificiis'.

de resurr. carn. c. 14. (II 484): 'Exorsi enim sumus ab auctoritate carnis, an ea sit cui dilapsae salus competat, dehinc prosecuti de potentia dei, an tanta sit quae salutem

conferre dilapsae rei soleat. Nunc si probavimus utrumque, velim etiam de causa requiras, an sit aliqua tam digna, quae resurrectionem carnis necessariam et rationi certe omni modo debitam vindicet, quia subest dicere, etsi caro capax restitui, etsi divinitas idonea restituendi, sed causa restitutionis praeesse debeat.

Hac igitur componendi arte explorata quibus verbis et locutionibus Tertullianus potissimum usus sit, si quaeremus, eum inprimis de arena et circo ea petiisse inveniemus. Neque hoc mirum est, quippe cum in omni vita cum eis, qui consiliis factisque suis adversabantur, acerrime certaverit. Quod ita se habere, cum ex aliis libris, tum ex hoc apparet.

adv. Jud. c. 2: 'Gradum conferamus et summam quaestionis ipsius certis lineis determinemus'; c. 7: 'In isto gradum conseramus' (cod. Fuldens.; reliqui: conferamus). ad Nat. II 1: 'gradum conferens'. adv. Marc. III 2: 'gradum consero'; I 9: 'age igitur ad lineas rursum et in gradum'. IV 6: 'aliud inimus gradum'; IV 29: 'eodem gradu occurrere'; I 19: 'ad praesentem gradum occurrere'; IV 37: 'gradum dirigere'; V 16: 'de gradu cedere'; I 13: 'gradu expellimus'; IV 9: 'de gradu pellam'. de resurr. carn. 2: 'directus vel motus de gradu'. adv. Marc. I 1: 'gradum sustinebit' et aliis locis; cf. Öhl. I 514 Annotat. a.

adv. Jud. c. 2: 'Summam quaestionis ipsius certis lineis determinemus'.

adv. Marc. I 7: 'quamquam tota materia de duobus deis dimicetur; his interim lineis eam clausimus, intra quas de singularibus iam proprietatibus congregiemur'; I 9: 'ad lineas rursum et in gradum'; III 5: 'sed et hinc iam ad certum et cominus dimicaturus video aliquas etiam nunc lineas praeducendas, ad quas erit dimicandum'; IV 17: 'lineae insistere'; V 1: 'iisdem et hic dimicabimus lineis, in ipso gradu provocabimus praescriptionis'.

de coron. 3: 'et quamdiu per hanc lineam serram reciprocabimus'. Scorp. 4: 'nunc in unam speciem congressionis certas praeducimus lineas'; de pud. 6: 'ad hanc iam lineam dimicabit nostra congressio'. de carn. Chr. 17: 'ad unam iam lineam congressionem dirigamus'. de an. 26: 'in nostras iam lineas gradum colligam'; cf. Öhl. I. 506. Annotat. b.

Neque praetereundum esse duco ,funem contentiosum trahere vel ducere' inveniri non solum adv. Jud. c. 1., sed etiam adv. Marc. IV 4: ,funis ergo ducendus est contentionis pari hinc inde nisu fluctuante', de resurr. carn. c. 34: ,nolo nunc contentioso fune deducere', de pudicit. c. 2: ,funem contentiosum alterno ductu in diversa distendere'; cf. Öhl. I 420. Annotat. a.

Saepissime autem Tertullianus ,habere' cum infinitivo pro ,oportere' adhibuit. (Kellner l. c. p. 237 sqq.; Thielmann l. c.) Conferas velim hos locos:

adv. Jud. c. 3: ,Dari enim habebat circumcisio, sed in signum, unde Israel in novissimo tempore dinosci haberet'. c. 5: ,quod in omnem terram exire habebat praedicatio apostolorum'. c. 8: ,quoniam ista civitas exterminari haberet . . . pati habere . . . omnes prophetae nuntiabant de illo, quod venturus esset et pati haberet'.

adv. Marc. I 11: ,cognosci habens'; I 22: ,quod agi habuit . . . revelari haberet'; II 6: ,habes agnoscere'; II 9: ,potuisse habuit'; II 15: ,salvo eo, quod postea decerni habebat'; III 2: ,in quantum credi habebat'; III 7: ,tamquam ovis ad victimam deduci habebat . . . ut qui agnosci habeat'; III 9: ,habuit dedisse . . . nasci habebat'; III 11: ,natus credi habebat'; III 16: ,idque provenire habebat'; III 20: ,habebat evenire'; III 22: ,quod hodie fieri habebat'. Sed haec hactenus!

Deinde Tertullianus et hic et alibi solito frequentius gerundio pro particip. praesent. usus est (Kellner l. c. p. 234):

adv. Jud. c. 2: ,Atque ita in semetipsos homicidium non commisissent, excidendo de immortalitate, faciendo contra dei praeceptum . . . nec falsum asseveranti diabolo participes efficerentur credendo ei'; c. 3: ,accipiendo novam legem'; c. 4: ,deus . . . requiescendo . . . sabbatis pugnando fortiter fecerunt . . . legemque paternam ad pristinum vitae statum pugnando sabbatis revocaverunt'.

adv. Marc. I 2: ,Alterum . . . deum . . . de malo infamando destruxit, alterum . . . de bono praestruendo construxit'; I 3: ,ut deum neget auferendo quod dei est . . . summum magnum, par non habendo . . . non quasi dubitemus esse deum dicendo'; I 5: ,omnia unum fuissent, nullo

inter se differendo'; I 12: ,sine causa est enim, qui rem non habendo non habet causam'. Conferas velim praeterea adv. Marc. I. 13. 15. 23. 26. 27. 29 plurimosque aliorum librorum locos, quos hic ponere non expedit.

Sed et longum est neque necessarium haec continuare et fusius disserere. Satis sit monere Tertulliani opera oratoria arte splendere. Nam occasione oblata lubentissime res rhetorum modo expinxit et summo studio ,anaphoram' atque ,partitionem' adhibuit. Si quis paucos huius scriptoris libros vel leviter attigerit, haec ita se habere non potest non confiteri. Quae cum etiam in opusculo adv. Jud. composito inveniantur, quis id Tertulliano adscribendum esse infitietur? Animum velim convertas inprimis ad c. 7., quod quia longius est, hic non exscribemus, praeterea

ad c. 2: ,Quid enim mirum, si is auget disciplinam, qui instituit, si is proficit, qui coepit? Nam unde Noe iustus inventus, si non illi naturalis legis iustitia praecedebat? Unde Abraham amicus dei deputatus, si non de aequitate et iustitia legis naturalis? Unde Melchisedech sacerdos dei summi nuncupatus, si non ante Leviticae legis sacerdotium Levitae fuerunt, qui sacrificia deo offerebant'?

In c. 6. sex enuntiata continua a vocabulo ,si' incipiunt.

c. 7: ,Christi autem nomen ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus supra enumeratis colitur, ubique regnat, ubique adoratur, omnibus ubique tribuitur aequaliter; non regis apud illum maior gratia, non barbari alicuius inferior laetitia, non dignitatum aut natalium cuiusquam discreta merita; omnibus aequalis, omnibus rex, omnibus iudex, omnibus deus et dominus est'.

In ceteris vero Tertulliani scriptis haec sescenties inveniuntur; quare sufficiat ex III. adv. Marc. libro exempla afferre.

c. 4: ,aut sine causa intercidit temporis alieni decursum aut sine causa tamdiu non intercidit. Quid illum detinuit, quidve turbavit'?

c. 8: ,ideo Christus eius, ne mentiretur, ne falleret Nihil solidum ab inani, nihil plenum a vacuo perfici licuit. Putativus habitus, putativus actus; imaginarius operator, imaginariae operae inanis est et fides nostra, inanis est praedicatio apostolorum'.

c. 17: ,si inglorius, si ignobilis, si inhonorabilis, meus erit Christus'.

Partitio autem rhetorica cum plurimis aliis locis tum his invenitur:

adv. Jud. c. 2: ,deus, universitatis conditor, mundi totius gubernator, hominis plasmator, universarum gentium sator'.

c. 6: ,et quidem primum quaerendum, an expectetur novae legis lator, et novi testamenti haeres, et novorum sacrificiorum sacerdos, et novae circumcisionis purgator, et aeterni sabbati cultor, qui legem veterem compescat et novum testamentum statuatur, et nova sacrificia offerat, et ceremonias antiquas reprimat, et circumcisionem veterem cum suo sibi sabbato compescat, et novum regnum, quod non corrumpatur, adnuntiet. Hic inquam, novae legis lator, sabbati spiritualis cultor, sacrificiorum aeternorum antistes, regni aeterni aeternus dominator, quaerendum an iam venerit necne'.

de orat. c. 5. (I 560): ,Quam celeriter veniat, domine, regnum tuum, votum Christianorum, confusio nationum, exultatio angelorum'.

c. 28 (I 582): ,hanc (sc. orationem) de toto corde devotam, fide pastam, veritate curatam, innocentia integram, castitate mundam, agape coronatam cum pompa operum bonorum inter psalmos et hymnos deducere ad dei altare debemus'.

de pudicit. c. 1. (I 791): ,Pudicitia, flos morum, honor corporum, decor sexuum, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum sanctitatis, praeiudicium omnis bonae mentis'.

adv. Marc. I 14 (II 62): ,Imitare, si potes, apis aedificia, formicae stabula, araneae retia, bombycis stamina, sustine, si potes, illas ipsas lectuli et tegetis tuae bestias, cantharidis venena, muscae spicula, culicis et tubam et lanceam'.

I 22 (II 73): ,Talis et in deum Marcionis dicenda sententia est, mali permissorem, iniuriae fautorem, gratiae lenocinatorem, benignitatis praevaricatorem'.

I 23 (II 74): ,Non aliter deus Marcionis irrumpens in alienum mundum, eripiens deo hominem, patri filium, educatori alumnum, domino famulum, ut eum efficiat deo impium, patri irreligiosum, educatori ingratum, domino nequam'. Sed sunt certi denique fines, neque est, cur haec exempla aliis augeamus.

At dixerit quispiam: Si iis, quae supra exposuimus, probatur, haec octo capita germana esse, quomodo fit, ut Tertullianus in ceteris scriptis locos ex libro Danielis secundum LXX interpretes laudet, in hoc autem opusculo Theodotionis interpretationem adhibeat? *) En quaestionem vere difficilem, quam parum liquere ipsi ingenue fatemur. Sed haec octo capita, de quibus modo egimus, sive res sive verba respexeris, Tertulliano vix abiudicabis. Itaque huic in locis ex Daniele afferendis diversitati non nimiam vimtribuendam esse putamus. Nam etiam Dan. VII 13 ex interpretatione Theodotiana fluxit (cf. adv. Marc. III 7, IV 10. 39. adv. Jud. c. 14.) et Dan. II 34 et 44 propius accedunt ad Theodotionis quam ad LXX interpretationem (cf. Burkitt l. c. p. 20.). Praeterea translatio Alexandrina illius loci apud Dan. IX 24—27 ad probandum Messiae adventum minime idonea est (cf. Bludau, De Alexandrinae interpret. l. Dan. indole crit. et herm. p. 28; Theolog. Quartalschr. 1897. 1. H. S. 22.).

Quodsi haec omnia complectimur, ut iustum iudicium de his octo capitibus faciamus, num ea spuria esse dicemus? Num compilatorem, quamvis bene Tertullianum imitaretur, haec scribere potuisse putabimus? Minime. Quare mirum est, quod viri docti de toto hoc libro tam inique iudicaverunt eumque falso Tertulliano adscribi existimaverunt. Quod enim putabat Boehringer (l. c. p. 740.) a Tertulliano eum prorsus esse alienum rebus nimis copiose sine vigore proluxius, idem-

*) adv. Jud. c. 8. (II 716.) illud Dan. IX 25: 'aedificabitur in altitudinem et convallationem' corruptum esse suspicamur. Nam paulo post legimus: 'aedificabitur in latitudinem' (ita corrigendum esse opinamur; nam 'latitudinem' invenitur in cod. Leidens. et edit. princ., 'altitudinem' in cod. Fuldensi tantum) et 'longitudinem' quae verba cum LXX interpr. congruunt: 'εἰς πλάτος καὶ μήκος' Dan. IX 27.

ibid. Dan. IX 27 haec verba: 'Et confirmabit testamentum in multis. Hebdomada una et dimidia hebdomadis auferetur meum sacrificium et libatio, et in sancto (= cod. Fuld.; in sanctum: cod. Leid.) execratio vastationis' secundum recensionem Theodotioneam 'καὶ δυναμώσει διαθήκην πολλοῖς ἑβδομαῖς μία· καὶ ἐν τῷ ἡμίσει τῆς ἑβδομάδος ἀρθρήσεται μου θυσία καὶ σπονδή καὶ ἐπὶ τὸ ἔσθον βδέλυγμα τῶν ἐρημώσεων' ita emendanda esse putamus: 'Et confirmabit testamentum multis hebdomada una; et in dimidia hebdomadis auferetur meum sacrificium et libatio et in sanctum execratio vastationis'.

tidem explanatis, octo priora capita a sequentibus multum differre minime intellexit. Deinde quod existimabat, Tertulliani temporibus nondum scribi potuisse, doctrinam Christianam iam per Britanniam et Daciam divulgatam esse, Tertullianum, ut erat natura ferventissimus, saepe res exaggerasse non animadvertit. Quis non meminerit illorum librorum, quos Montani doctrinae defendendae causa velut de pudicitia, de monogamia scripsit? Denique compares velim huic loco illud de an. 49. (II 634): „Quid ergo nec a deo Atlantes somniarent, vel quia nulla iam gens dei extranea est, in omnem terram et in terminos orbis evangelio coruscante“?

Quae cum ita sint, sine ulla dubitatione illud tenemus, haec octo capita usque ad fin. c. 8. (cf. supra p. 6.) a Tertulliano esse scripta. Itaque nulla mora interposita utrum sequentia sex capita huic parti conciliari possint, examinabimus.

Pars II.

De cap. 9—14 disputatio.

Priusquam c. 9—14 examinemus, videamus, quomodo capita in codicibus manu scriptis distribuuntur quibusque titulis adornentur. Sequimur autem cod. Fuld. (= *λ*) et edit. princ. (= *B*), et, ubi cod. Leidens. (= *A*) alia exhibet, ea expresse adiungimus.

c. 1—5. —

c. 6. p. 711. De sabbato et circumcisione et (et om. *A*) legis et (et om. *A*) veteris et novae observatione sic dicit (observatione sic dicit om. *A*).

c. 6. p. 712, 14. De nativitate Christi. Adventus primus. De nativitate Christi et adventu eius primo *A*.

c. 7. p. 714, 28. De regno Christi aeterno.

c. 8. p. 715, 2. De passione Christi et vastatione Hierusalem.

c. 9. p. 720. Item probatio nativitatis Christi. Probatio nativitatis Christi salvatoris nostri. *A*.

c. 10. p. 727. Item negantes Judaei passionem Christi in cruce. Quod Judaei negabant passionem Christi. *A*.

- c. 10. p. 727, 19. Item patriarchae ostendunt figuram crucis. Quod patriarchae ostendant figuram sanctae crucis. *A.*
- c. 11. p. 731. De vastatione Israel post passionem domini. De vastatione Israelis. *A.*
- c. 12. p. 733. Item de claritate gentium in Christo Jesu. De claritate gentium in Christo Jesu. *A.*
- c. 14. p. 739, 4. Item de secundo adventu Christi. De secundo adventu. *A.*

Videmus igitur hos capitum titulos inter se differe. Nam eae partes, quae cum III. adv. Marc. l. concinunt, vocabulo ‚Item‘ significatae sunt exceptis c. 11. (extrem.) p. 733. et c. 13. (med.) p. 737. Nonne ex hac titulorum diversitate conicere possumus, hoc adv. Jud. opusculum non uno tenore compositum, sed partes vocabulo ‚item‘ signatas locos esse Judaeos refellendi causa excerptos et collectos? Quamquam, utrum res ita se habeat necne, melius cognoscemus, si haec singula pertractaverimus.

Cap. I.

De iis locis, qui cum III. adversus Marcionem libro congruunt.

Cap. 9—14 in tres partes distingui possunt. Nam maior pars eorum cum III. adv. Marc. libro fere ad verbum congruit (Synops. Semler Öhl. III. p. 640):

Adv. Jud. c. 9.	=	Adv. Marc. III 12. 13. 14. 16. 17
„ „ 10.	=	„ „ III 18. 19
„ „ 11. (extrem.) 12.	=	„ „ III 20
„ „ 13.	=	„ „ III 23
„ „ 14.	=	„ „ III 7. 20. 21

Unus locus c. 11. ex c. 8. repetitus est, cetera in aliis Tertulliani scriptis non inveniuntur. Quae cum ita sint, optimum esse ducimus, primum has tres partes singillatim accurate tractare, deinde in eas in universum inquirere.

In hac igitur quaestione solvenda plurimum interest haec capita cum III. adv. Marc. libro recte conferre. Hinc enim praecipue, utrum haec pars germana sit necne, colligere

poterimus. Etiam in hac re viri docti inter se valde dissentiunt. Neander quidem et Corssenius hanc partem paucis exceptis spuriam esse dixerunt (cf. supra p. 5.). Contra Kaye (l. c.) et Grotemeyer (l. c.) Tertullianum primum adversus Marcionem scripsisse et postea in libro adv. Judaeos componendo illud opus excerptis defendere. Noeldechenius autem (l. c. p. 46.) Tertullianum, cum adversus Marcionem scriberet, ex libro advers. Judaeos iam edito multa mutuatum esse luculentissime se probasse confidebat. Argumentatio eius quasi firmissimo adminiculo hoc loco fulcitur adv. Marc. III 7 (II 130): „Discat (in codic. Vindobonensi et Leidensi et in edit. princip. Beati Rhenani legimus ‚dicat‘!) nunc haereticus ex abundanti cum ipso licebit Judaeo rationem quoque errorum eius, a quo ducatum mutuatus in hac argumentatione caecus a caeco in eandem decidit foveam“. Inde evidenter apparere dicit, Tertullianum adversus Marcionem scribentem ex libro adversus Judaeos composito mutuari sibi proposuisse. Quin etiam eum petere, ut sibi concedatur, Ponticum illum una cum Judaeo castigare, neque quemquam id sibi denegaturum esse eum putare. Nam verbis illis, discernere cum aliquo Tertullianum ex libro aliquo descendum esse significasse neque ullum locum in eius scriptis inveniri, qui aliter intellegendus sit. Quare verisimillimum esse, librum adv. Jud. editum ei hic (adv. Marc. III 7) ob oculos versatum esse.

Sed tota haec argumentatio vacillat atque claudicat. Marcion enim, etsi diversa sequebatur, aequae atque Judaei Christum, qui venerat, eum esse negaverat, qui a prophetis testamenti veteris annuntiatus erat. Qua in re eadem fere atque Judaei Christianis obiecit. Recte igitur Tertullianus adv. Marc. III 6 scribit haec;

„Cum igitur haeretica dementia eum Christum venisse praesumeret, qui nunquam fuerat annuntiatus, sequebatur, ut eum Christum nondum venisse contenderet, qui semper fuerat praedicatus; atque ita coacta est cum Judaico errore sociari et ab eo argumentationem sibi struere, quasi Judaei certi et ipsi alium fuisse, qui venit . . .“. Deinde Judaeorum caecitatem praedicatam esse dilucide demonstrat. Itaque non est, cur miremur, si sequenti capite dicit: „Discat nunc hae-

reticus ex abundanti cum ipso licebit Judaeo rationem quoque errorum eius: Aequè non offendimur, quod l. c. III 23 scribit: ‚Nunc quia cum Judaeis negas venisse Christum eorum, recognosce et exitum ipsorum, quem post Christum relaturi praedicabantur‘. Numquid et hic Tertullianus se ea, quae dicturus est, ex alio libro mutuaturum esse significat? Minime. Idem cadit in l. c. III 8, quo loco Marcionis errorem, quo Judaei non obstricti erant, refutaturus scribit: ‚Desinat nunc haereticus a Judaeo, aspis, quod aiunt, a vipera, mutuari venenum, evomat iam hinc proprii ingenii virus, phantasma vindicans Christum‘. Similiter ne l. c. III 16 quidem ‚disce et hic cum partiariis erroris tui Judaeis‘ aliunde sequentia se excerpturum esse dicit.

At Noeldechenius: Ceteris locis Tertullianus verbis illis ‚discere cum aliquo‘ ex libro aliquo descendum esse monuit. Hoc quidem loco de resurr. carn. c. 14. (II 484): ‚Cum Marcione plenius disces‘ convenit, quo scriptor legentium animos ad alterum adv. Marcionem librum convertit; sed hoc loco excepto ne uno quidem alio verbis illis ex libro aliquo descendum esse Tertullianus dixit, immo hoc ei ne in mentem quidem venit. Conferas velim:

adv. Prax. c. 27. (II 692 quem locum Noeldechenius non laudavit): ‚Sed quia substantiae ambae in statu suo quaeque distincte agebant, ideo illis et operae et exitus sui occurrerunt. Disce igitur cum Nicodemo: Quia quod in carne natum est, caro est, et quod de spiritu, spiritus est‘ (Joann. III 6). Quem locum si premas, non minus recte dicas, a Christo ipso esse descendum quam ex litteris sacris. Quod confirmatur hoc loco adv. Marc. IV 33 (II 245): ‚deinde mammonam quem intellegi velit, si interpretem non habes, ab ipso (sc. domino) potes discere Iniustitiae enim auctorem et dominatorem totius saeculi nummum scimus omnes. Cui famulatam videns pharisaeorum cupiditatem ammentavit hanc sententiam: Non potestis deo servire et mammonae‘. (Luc. XVI 13). Nonne Tertullianus pro illis verbis ‚ab ipso potes discere‘ scribere potuit ‚disce cum pharisaeis‘?

de monogam. c. 6. (I 769): ‚Si enim ex fide filii deputamur Abrahae, ut apostolus docet dicens ad Galatas Digamus (Abraham) cum circumcisione esse orsus est, mono-

gamus cum praeputatione. Recipis digamiam, admitte et circumcisionem. Tueris praeputationem, teneris et monogamiae. Adeo autem monogami Abrahae filius es, sicut et praeputati, ut si circumcidaris, iam non sis filius, quia non eris ex fide, sed ex signaculo fidei in praeputatione iustificatae. Habes apostolum, disce cum Galatis'!

Hic scriptor expresse, priusquam locum illum epistolae ad Galatas scriptae laudaret, 'dicens ad Galatas' scripsit, in fine vero abunde addidit: 'Habes apostolum, disce cum Galatis'. An credibile est, haec verba aliud esse atque oratoria? Aut scriptorem librum aliquem se adhibuisse eis significasse? Quid? Cur haec verba, si res ita se habet, non in initio posita sunt? Cur expresse 'dicens ad Galatas' scriptum est?

Neque magis ceteri loci premendi sunt de ieiun. c. 2; de resurr. carn. c. 24.

Denique Tertullianum etiam alibi plurimum errorem simul refutasse, hoc loco demonstrabimus adv. Marc. IV 12 (II 186): 'In quo die (sc. sabbati), si et Helisaeus prophetae Sunamitidis filium mortuum restituit in vitam, vides pharisaei, tuque Marcion, olim creatoris esse sabbatis benefacere'.

Ex iis igitur, quae modo disseruimus, Noeldechenium illud adv. Marc. III 7: 'discat nunc haereticus ex abundanti cum ipso licebit Iudaeo' non recte intellexisse manifestum est. Neque enim Tertullianum his verbis legentium animos ad librum adversus Iudaeos compositum convertisse licet inde colligere.

Jam vero Noeldechenium longe a vero aberrasse, si ipsa cap. 9—14 perlustraveris, facile intelleges. Nam plurima in eis inveniuntur, quae a Tertulliano prorsus aliena sunt. Quod si cum III. adv. Marc. libro haec sex capita comparabis, nullo negotio cognosces.

In illo scriptor adversarium ipsum aggreditur et acerrime cum eo conflictatur. In hoc vero nihil aliud nisi causam exponit; quare non cum Iudaeis, sed de eis disputat. Eo magis offendimur, quod a cap. 9. modo unum pluresve ut praesentes alloquitur, modo de Iudaeis ut absentibus scribit. Quid sibi vult haec tanta varietas? Quod Tertullianum consulto fecisse contendit Noeldechenius. In altera parte adumbrata tantum

necdum perpolita scriptorem diverbii imaginem delineare, quomodo hi rem afferant, illi respondeant, hi defendant, illi reiciant. Consulto Tertullianum modo proselytum Judaeum, modo audientes allocutum esse, modo Judaeos dicentes induxisse (Noeldechen l. c. p. 29 sqq.).

Sed cur scriptor in octo prioribus capitibus non idem fecit? Aut cur in cap. 11. et 13., quatenus in III. adv. Marcionem libro non inveniuntur, illius proselyti non mentionem fecit? Deinde cur 2. personam singul. uno loco excepto iis tantum locis usurpavit, qui cum III. adv. Marc. libro congruunt?

Adv. Jud.

- c. 9. Uti non solum sonum nominis spectes, sed et sensum.
 „ quaere ergo
 „ non negabis
 „ ante est enim inspicias
 „ agnosce et spolia figurata, cuius et arma allegorica didicisti.
 „ disce erroris tui morem
 „ certe inquis
 c. 10. age nunc si legisti
 „ si adhuc quaeres dominicae crucis praedicationes, satis iam poterit tibi facere 21. psalmus.
 c. 12. aspice universas nationes et si audes negare, statim tibi occurrit
 „ nec poteris . . . dicere
 c. 14. non potes futurum contendere, quod vides fieri.

Adv. Marc.

- c. 12. Uti non solum sonum nominis spectes, sed et sensum.
 „ quaere ergo
 „ non negabis
 c. 13. ante est enim inspicias.
 c. 14. agnosce et spolia figurata, cuius et arma allegorica didicisti.
 c. 16. disce et hic cum partiaris erroris tui Judaeis
 „ certe inquis
 c. 19. age nunc si legisti
 „ si adhuc quaeres dominicae crucis praedicationes, satis iam poterit tibi facere 21. psalmus.
 c. 20. aspice universas nationes . . . et si audes, nega . . . sed tibi occurret.
 „ nec poteris vindicare
 „ non potest futurum dici, quod vides fieri.

c. 14. haec aut prophetata
nega aut si ne-
gas utrumque

c. 21. haec aut prophetata
nega . . . aut si negas
utrumque.

Huc accedit, quod Tertullianum hoc opusculum non diverbio acerrimo cum adversariis habito composuisse, sed ut alios illius aetatis scriptores id finxisse verisimile est. Sufficiat S. Justini dialogi cum Tryphone Judaeo admonere. Quam male Judaei in his dialogis doctrinam suam defendunt, quam facile ab adversariis Christianis protrahuntur! (Krüger l. c. p. 61.). Quare Noeldecheni opinio dicentis, eo quod puer quidam Judaeus Caracallam, imperatoris filium, in suas partes trahere conatus imperatoris Severi et ipsius patris iussu valde castigatus esset, etiam in Africa homines commotos vehementer inter se disputasse (Noeld. l. c. p. 88.) nullo argumento niti nobis videtur. Nos quidem, si hic nuntius in Africam pervenisset, Judaeos de eiusmodi rebus non disputaturos fuisse existimamus. Praeterea cum Tertullianum multis locis S. Justini dialogum adhibuisse negari non possit, diverbium c. 1. eum finxisse multo magis suspicari licet. An si altercationem acerrimam accurate describere voluisset, eum antea S. Justini scriptis operam daturum fuisse putas? Sed haec hactenus. Noeldechenium errasse pro certo affirmari potest.

Quod etiam ex iis locis apparet, qui ita depravati sunt, ut non ad Tertulliani ingenium, sed ad compilatoris cuiusdam errorem referendi sint. Neque enim coniecturis emendari possunt neque omnia menda ad malam traditionem sunt revocanda. Nam quomodo factum esse cogitabimus, ut haec ipsa capita, de quibus agitur, tam male, cetera autem multo melius servarentur? Comparemus igitur nonnullos locos, qui ad rem maxime pertinent, cum III. adv. Marcionem libro, locis consimilibus, quo aptius possint perlustrari, iuxta positus.

I. adv. Marc. III 12 (II 137)
Semler. Öhl. III. 643; Corssen.
l. c. p. 4 sqq.:

„Provoca nunc, ut soles,
ad hanc Esaiæ comparisonem
Christi, contendens illam in
nullo convenire. Primo enim,
inquis, Christus Esaiæ Em-

adv. Jud. c. 9. (II 720):

„Itaque dicunt Judaei: Pro-
vocemus istam praedicationem
Esaiæ (scil. VII 13 sqq. et VIII 4)
et faciamus comparisonem,
an Christo qui iam venit,

manuel vocari habebit, dehinc virtutem sumere Damasci et spolia Samariae adversum regem Assyriorum. Porro iste qui venit, neque sub eiusmodi nomine est editus, neque ulla re bellica functus est. At ego te admonebo, uti cohaerentia quoque utriusque capituli recognoscas. Subiuncta est enim et interpretatio Emmanuelis, Nobiscum deus; uti non solum sonum nominis spectes, sed et sensum. Sonus enim Hebraicus, quod est Emmanuel, suae gentis est, sensus autem eius, quod est deus Nobiscum, ex interpretatione communis est. Quaere ergo, an ista vox, Nobiscum deus, quod est Emmanuel, exinde quod Christus illuxit, agitetur in Christo. Et puto, non negabis, utpote qui et ipse dicas, Deus nobiscum dicitur, id est Emmanuel. Aut si tam vanus es, ut quia penes te Nobiscum deus dicitur, non Emmanuel, idcirco nolis venisse illum, cuius proprium sit vocari Emmanuel, quasi non hoc sit et Deus Nobiscum, invenies apud Hebraeos Christianos, immo et Marcionitas, Emmanuelem nominare, cum volunt dicere Nobiscum deus; sicut et omnis gens, quoque sono dixerit Nobiscum deus, Emmanuelem pronuntiavit in

competat illi primo nomen, quod Esaias praedicavit, et signa eius quae de eo nuntiavit. Equidem Esaias praedicat eum Emmanuel vocitari oportere, dehinc virtutem sumpturnum Damasci et spolia Samariae adversum regem Assyriorum. Porro, inquiunt, iste qui venit, neque sub eiusmodi nomine est dictus neque re bellica functus. At nos e contrario admonendos eos existimavimus, uti cohaerentia quoque huius capituli recognoscant. Subiuncta est enim et interpretatio Emmanuel, Nobiscum deus, uti non solum sonum nominis spectes, sed et sensum. Sonus enim Hebraicus, quod est Emmanuel, interpretationem habet, quod est Nobiscum deus. Quaere ergo an ista vox, Nobiscum deus, quod est Emmanuel, exinde quod Christus inluxit, agitetur in Christo. Et puto non negabis. Nam qui ex Iudaismo credunt in Christum, ex quo in eum credunt, Emmanuel cum volent dicere nobiscum deum esse significant atque ita constat, iam venisse illum, qui praedicabatur Emmanuel, quia quod significat Emmanuel venit, id est Nobiscum deus.

sensu sonum expungens. Quodsi Emmanuel Nobiscum deus est, deus autem Nobiscum Christus est, qui etiam in nobis est (quotquot enim in Christum tincti estis, Christum induistis) tam proprius est Christus in significatione nominis, quod est Nobiscum deus, quam in sono nominis, quod est Emmanuel. Atque ita constat venisse iam illum, qui praedicabatur Emmanuel, quia quod significat Emmanuel venit, id est Nobiscum deus.

Ac primum quidem quam apte Tertullianus nomen Emmanuelis Christo dari in III. adv. Marc. libro explanavit. Nam cum Christum ab omnibus Christianis etiam a Marcionitis, 'Nobiscum deus' appellari, quod omnes in Christum baptizati Christum induerunt, Marcion concederet, Tertulliano nihil nisi 'Emmanuel' et 'Nobiscum deus' idem valere erat demonstrandum. In hoc autem adv. Jud. libro Christum ab omnibus, 'Emmanuel' vel 'Nobiscum deus' appellari non legimus. Atqui si scriptor nihil aliud nisi Christianos Hebraeos Messiae nomen Emmanuelis dare monere voluit, non fuit, quod 'Emmanuel' latine 'Nobiscum deus' reddi ostenderet. Praeterea non ut in illo libro affertur causa, cur hoc nomen in Christum conveniat. Deinde particulis 'primo, deinde, porro' non recte usurpatis haec argumentatio valde depravata est. (Corssen. l. c. p. 5.). Tum scriptorem ex duobus Isaiae prophetae capitibus (Is. 7, 13 sqq. et 8, 4) locum se afferre cum fugeret, falso 'cohaerentia huius capituli' scripsit. (Corssen. l. c. p. 5. A.). Denique Judaei hoc loco 'Christus, qui iam venit' non commode dicunt. Quod Noeldechenius eos adversarios irridere putat (l. c. p. 41.), hoc a totius libri natura abhorret.

II. adv. Marc. III 13 (II 139):

,In signum ergo disposita virgo et mater merito creditur, infans vero bellator non

adv. Jud. c. 9. (II 721 sq.):

,Et signum ergo nobis posita virgo mater merito creditur, infans vero bellator

aeque. Non enim et hic signi ratio versatur. Sed signo nativitatis novae adscripto exinde post signum alius ordo iam infantis edicitur, mel et butyrum manducaturi. Nec hoc utique in signum est malitiae non assentaturi, et hoc enim infantia est, sed accepturi virtutem Damasci et spolia Samariae adversus regem Assyriorum.

non aeque. [Non] enim et hic signi ratio versaretur ($= \lambda$; versatur *A*), sed signo nativitatis novae adscripto exinde post signum alius iam ordo infantis edicitur, mel et butyrum manducaturi. Nec hoc utique in signum. Est infantiae. Sed accepturum virtutem Damasci et spolia Samariae adversus regem Assyriorum, hoc est mirabile signum.

Hoc loco ,virgo mater' ,infanti bellatori' opposita est. Illud ,signum' rem extraordinariam esse neque aliter atque scriptum esset, esse intellegendum scriptor contendit. ,Sed et virginem, inquit, parere natura non patitur, et tamen creditur prophetae. Et merito. Praestruxit enim fidem incredibili rei, rationem edendo, quod in signo esset futura'. adv. Marc. III 13 (II 138). Hoc autem signum non esse et figurate esse pronuntiatum. Quae compiler parum intellexit et plane depravavit. Quamquam enim et ipse illud ,infans bellator' explanans scripserat ,non enim et hic signi ratio versaretur', tamen paulo post dixit ,sed accepturum virtutem Damasci, hoc est mirabile signum'. (Corssen. l. c. p. 7.).

III. adv. Marc. III 16
(II 143):

Nam quia Jesus Christus secundum populum, quod sumus nos nati in saeculi desertis, introducturus erat in terram promissionis, . . . ideo is vir, qui in huius sacramenti imagines parabatur, etiam nominis dominici inauguratus est figura, Jesus cognominatus. Hoc nomen ipse Christus suum iam tunc esse testatus est, cum ad

adv. Jud. c. 9. (II 724):

,Nam quia Jesus Christus secundum populum, quod sumus nos nationes in saeculo desertae ($= \lambda$; deserto *A*) . . . introducturus esset in terram repromissionis, . . . ideo is vir, qui in huius sacramenti imagines parabatur, etiam nominis dominici inauguratus est figura, ut Jesus nominaretur. Nam qui ad Moysen loquebatur, ipse

Moysen loquebatur. Quis enim loquebatur nisi spiritus creatoris, qui est Christus?

erat dei filius, qui et semper videbatur. Deum enim patrem nemo vidit unquam, et vixit. Et ideo constat, ipsum dei filium Moysi esse locutum.

Quomodo hic ,ut Jesus nominaretur' et ,nam qui ad Moysen loquebatur, ipse erat dei filius' cohaereant, non satis liquet. Neque enim, cuius rei causa afferatur, videmus. Itaque inter haec duo enuntiata aliquid omissum esse suspicamur. Quod autem hic desideramus, in III. adv. Marc. libro invenimus, hoc est: ,Hoc nomen ipse Christus suum iam tunc esse testatus est, cum ad Moysen loquebatur'.

IV. adv. Marc. III 17
(II 145):

,Sed de utroque titulo sic disponam, ut, quoniam ipsum quoque Marcionis evangelium discuti placuit, de speciebus doctrinarum et signorum illuc differamus, quasi in rem praesentem. Hic autem generaliter expungamus ordinem coeptum, docentes praedicatorem interim annuntiare Christum per Esaiam'.

Hic cum totum locum in libro adv. Jud. scripto depravatum, tum maxime ,specialiter' inepte usurpatum esse facile cognoscas. Nam scriptor Christum doctrinam caelestem praedicaturum et magnas virtutes facturum esse prophetas annuntiasse, non specialiter, sed generaliter illis Isaiae verbis 58, 1 sqq. et 35, 4 sqq. probavit. Et hic in III. adv. Marc. libro recte ,generaliter' positum est (Hauck. l. c. p. 92. A.).

V. adv. Marc. III 18
(II 146):

,Idem (sc. Christus) erit et alibi taurus apud eandem scripturam, cum Jacob in Simeonem et Levi, id est in

adv. Jud. c. 9. (II 726):

,Sed de utroque titulo (scil. praedicationis et virtutis) sit dispositum (cf. Noeld. l. c. p. 55. A. 2., ubi Öhleri emendatio ,sit' recipitur). Itaque specialiter dispungamus ordinem coeptum, docentes praedicatorem adnuntiatum Christum'.

adv. Jud. c. 10. (II 728):

,Idem erit et alibi taurus apud eandem scripturam. Cum Jacob in Simeonem et Levi porrexit benedictionem,

scribas et pharisaeos (ex illis enim deducitur census istorum) spiritualiter interpretatur. Simeon et Levi perfecerunt iniquitatem ex sua haeresi, qua scilicet Christum sunt persecuti. In concilium eorum ne venerit anima mea et in stationem eorum ne incubuerint iecora mea, quia in indignatione sua interfecerunt homines, id est prophetas, et in concupiscentia sua ceciderunt nervos tauro, id est Christo, quem post necem prophetarum suffigendo nervos utique eius clavis desaevierunt. Ceterum vanum, si post homicidia alicuius bovis illis exprobat carnificinam⁴.

de scribis et pharisaeis prophetat; ex illis enim deducitur census illorum. Interpretatur enim spiritualiter sic. Simeon et Levi perfecerunt iniquitatem ex sua secta, qua scilicet Christum sunt persecuti. In concilium eorum ne veniat anima mea, et in stationem eorum ne incubuerint viscera mea, quoniam in indignatione sua interfecerunt homines, id est prophetas, et in concupiscentia sua subnervaverunt taurum, id est Christum, quem post necem prophetarum interfecerunt, et nervos eius suffigendo clavis desaevierunt. Ceterum vanum, si post homicidium (homicidia λ) iam ab eis commissum (commissa λ) aliis et non ipsis exprobat carnificinam⁴.

Adv. Marc. III 18 Christum cruci suffixum iri hoc exemplo bene ostenditur; in hoc autem adv. Jud. libro enuntiatum ultimum plane est depravatum. Compiler enim, cum totam argumentationem ex eo, quod Jacob Simeoni et Levi post homicidia alicuius bovis carnificinam exprobat, pendere parum intellexeret, falsam conclusionem addidit.

VI. adv. Marc. III 19
(II 148):

„Nunc et si omnes istas interpretationes respuerit et irriserit haeretica duritia, concedam illi nullam Christi crucem significatam a creatore, quia nec ex hoc probabit alium esse, qui crucifixus est.

adv. Jud. c. 10. (II 730):

„Nunc si omnes interpretationes istas respuerit et irriserit duritia cordis vestri, probabimus sufficere posse mortem Christi prophetatam, ut ex hoc quod non esset edita qualitas mortis, intel-

Nisi forte ostenderit hunc exitum eius a suo deo praedicatum, ut diversitas passionum ac per hoc etiam personarum ex diversitate praedicationum vindicetur. Ceterum nec ipso Christo eius praedicato, nedum cruce ipsius, sufficit in meum Christum solius mortis prophetia. Ex hoc enim quod non est edita qualitas mortis, potuit et per crucem evenisse, tunc alii deputanda, si in alium fuisset praedicatum'.

legatur per crucem evenisse, nec alii deputandam fuisse passionem crucis quam cuius mors praedicabatur'?

Ac primum quidem ex eo quod mortis genus non descriptum est, non licet conicere Christum cruci suffixum esse, sed fieri potuisse, ut hoc supplicium subiret. Post ,evenisse' quod pro ,evenire' usurpatum esse ex loco consimili adv. Marc. III 19 ,potuit evenisse' apparet (Kellner l. c. p. 235.), non ,posse', sed ,potuisse' requiritur. Quare verbo illo ,posse', quod post ,sufficere' abunde positum esse putat Kroymannus (l. c. p. 136.), huc translato hic locus non emendatur. Deinde tota haec argumentandi ratio in hoc libro non apta est. Minime enim disputatione, qua crucis exempla proferuntur, finita Judaeis concedere licet, ,sufficere posse mortem Christi prophetatam'. In III. autem adv. Marc. libro iisdem verbis ideo non offendimur, quod etiamsi mors tantum Christi creatoris a prophetis annuntiata esset, eum Christum, qui cruci suffixus est, Christum creatoris fuisse probabilius est quam Marcionis, cuius ne mors quidem praedicta erat.

VII. adv. Marc. III 20
(II 149):

,Sufficit hucusque de his interim ordinem Christi decurrisse, quo talis probatus qualiter annuntiabatur, non alius haberi debeat quam qui talis annuntiabatur, ut iam

adv. Jud. c. 11 (II 733):

,Sufficit hucusque de his interim ordinem Christi decurrisse, quo talis probatur, qualis annuntiabatur etiam ex ista consonantia scripturarum qua ex prae-

ex ista consonantia rerum eius et scripturarum creatoris illis etiam restituenda sit fides ex praedictio maioris partis, quae a diversa sententia (cf. Kroymann. l. c. p. 136; Öhler. ,ad diversas sententias') vel in dubium deducuntur vel negantur'.

iudicio maioris partis adversum Judaeos elocuti sumus'.

Horum capitum auctor in Christo, qui venerat, prophetias testamenti veteris impletas esse vel, ut aliis verbis utar, res cum prophetarum vaticiniis optime concinere probavit. Quid? Nonne mirum, si adv. Jud. c. 11. ,consonantia scripturarum' scripsit? Ne uno quidem loco huius libri ea, quae de Christo praedicta erant, inter se congruere ostendit. Recte igitur adv. Marc. III 20 scriptum est ,consonantia rerum et scripturarum'.

VIII. adv. Marc. III 7

(II 130):

,Discat nunc haereticus ex abundanti cum ipso licebit Judaeo rationem quoque errorum eius, a quo ducatum mutuatus in hac argumentatione caecus a caeco in eandem decidit foveam' *).

adv. Jud. c. 14 (II 739):

,Discite nunc ex abundantia erroris vestri ducatum'.

Hoc loco vocabulum ,ducatus' non recte adhibitum est (Corssen. l. c. p. 8.). Neque enim ullo alio loco (cf. ad Nat. II 5; de pud. c. 5. adv. Marc. III 7) idem valet atque ratio. Atqui hic esse necessarium verbum, quod eam vim habeat, ex contextu et loco consimili adv. Marc. III 7 elucet. Quod ,ducatum' germanice „*Reinpunkt*“ vertendum esse vult Noeldechenius (l. c. p. 19. A. 3.), a vero aberrare nobis videtur; immo ,ducatus' in sermonem nostrum „*Führung*“ transferendum esse vel ex illo loco colligi potest, quem Noeldechenius ad

*) Haec verba alludunt Matth. XV 14: „Sinite illos! caeci sunt et duces caecorum. Caecus autem si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt“. (Vulg.)

suam opinionem tuendam laudavit de pud. c. 5. (I 799): ,Pompam quandam atque suggestum aspicio moechiae, hinc ducatum idololatriae antecedentis, hinc comitatum homicidii insequentis'. Nam hic ducatum comitatu esse oppositum quis est quem fugiat?*)

IX. adv. Jud. c. 14. (II 741):

,Sufficit hucusque de his interim ordinem Christi decucurrisse, quo talis probatur, qualis adnuntiabatur, ut iam ex ista consonantia scripturarum divinarum intellegamus, et quae post Christum futura praedicabantur ex dispositione divina credantur expuncta'.

Illud ,ista consonantia scripturarum divinarum' hic praetermittimus, quod de eo iam supra p. 32. tractavimus. Sed quid illud ,sufficit hucusque de his interim . . . decucurrisse' sibi vult in fine libri, si eadem res non continuatur? Haec verba ex. cap. 11. temere repetita sunt.

Si quis igitur quae adhuc disseruimus, complectitur, num a Tertulliano haec capita esse composita contendet? Aut quomodo factum est, ut hi loci, qui aliis augeri possunt, depravarentur? Nam ne in libro quidem adumbrato necdum limato credibile est Tertullianum ipsum totiens errasse.

Accedit, quod non ita pauci loci inveniuntur, quibus illius cum Marcione certaminis admoneamur, velut adv. Jud. c. 9: ,Reddere veritati'. adv. Marc. III 12 haec verba aptissime usurpata sunt, quod Marcion litteris sacris partim mutilatis partim reiectis veritati aliquid eripuerat, adv. Jud. c. 9. autem vigore carent. Deinde cur his locis c. 9: ,Constabit autem utrumque nomen in Christo dei' et ,Sic igitur utrumque nomen competit Christo dei' et ,Licuit ergo et Christo dei' verbo ,Christo' additum sit ,dei', non satis liquet. Nam iis tantum locis positum est, qui cum libro adv. Marcionem scripto con-

*) Huic falsae Noeldecheni interpretationi aliam adiungimus. Vituperavit enim (l. c. p. 45.), illud Tertulliani adv. Jud. c. 2. (II 705): ,Loth, frater Abrahæ'. At Tertullianum errasse censes, cum in ipsa Scriptura Sacra Gen. 14, 14 sec. LXX. interpret. legamus: ,*Ἀκούσας δὲ Ἀβραμ, ὅτι ἡχμαλώτεται Λωτὶ ὁ ἀδελφοῦς αὐτοῦ.* (Vulgata): Quod cum audisset Abram, captum videlicet Lot fratrem suum' et Gen. 14, 16: ,*Καὶ Λωτὶ τὸν ἀδελφοῦν αὐτοῦ ἀπέστρεψε, καὶ πάντα τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ.* (Vulgata): Reduxitque . . . et Lot, fratrem suum cum substantia illius.

gruunt. Quare compilatorem pro ‚creatoris‘ illius libri hic ‚dei‘ scripsisse verisimile est. Quin etiam adv. Jud. c. 13. et 14. ‚deum creatorem et Christum eius‘ legimus. Quod haec verba c. 2: ‚Deus, universitatis conditor, mundi totius gubernator, hominis plasmator, universarum gentium sator‘ idem valere putat Noeldechenius atque ‚creator‘ (l. c. p. 31. A. 2.), non re, sed vocabulo ‚creator‘ offendimur. Nam ‚dei creatoris‘ nomen a Tertulliano conformatum est, ut ‚deo Marcionis‘ opponatur.

Aliis locis verba addita sunt, quae cum certe superflua sint, in III. adv. Marc. libro non leguntur. Velut c. 9. his verbis ‚Archontas Sodomorum appellat archontas vestros et populum vestrum populum Gomorrae vocat‘ adiuncta sunt haec: ‚cum iam olim essent civitates istae extinctae‘ et post ‚Pater tuus, inquit, Amorraeus et mater tua Cethaea‘ scriptum est ‚quorum ex genere procreati non sunt‘. c. 13. huic loco: ‚Et ita subtractis charismatis prioribus (adv. Marc. III 23: ‚charismatum roribus‘) lex et prophetae usque ad Joannem‘ illud ‚et piscina Bethsaida usque ad adventum Christi. Vale-tudines ab Israele curare desiit‘ compilatoris modo non com-mode appositum est.

Denique non praetermittendum esse putamus a natura huius adv. Jud. libri alienam esse hanc irrisionem c. 9. (II 721): ‚Scilicet vagitu ad arma esset convocaturus infans, et signum belli non tuba, sed crepitaculo daturus, nec ex equo vel de muro, sed de nutricis et gerulae suae dorso sive collo hostem designaturus*), atque ita Damascum et Samariam pro mam-mis subacturus. Aliud est si penes vos infantes in proelium erumpunt, credo ad solem uncti prius, dehinc pannis armati et butyro stipendiati, qui ante norint lanceare quam lanci-nare‘. Ne uno quidem loco (c. 1—8) Tertullianus, quamquam saepius occasio offerebatur, adversarios irrisit. Contra in III. adv. Marc. libro c. 13. (II 138) eadem irrissio cum ceteris eiusmodi locis optime congruit, quibus ille liber abundat. Conferas velim IV 4 (II 165): ‚Emendator sane evangelii a Tiberianis usque ad Antoniniana tempora eversi Marcion solus

*) adv. Marc. III 13 (II 138): ‚destinaturus‘.

et primus obvenit, expectatus tamdiu a Christo paenitente iam, quod apostolos praemisisse properasset sine praesidio Marcionis'. IV 10 (II 180): 'Plane facilius invenias hominem natum cor non habere vel cerebrum sicut ipsum Marcionem quam corpus ut Christum Marcionis'. I 1: '(Sed nihil tam barbarum ac triste apud Pontum)'; I 8: '(Supercilio)'; I 19: '(Marcionis salutem)'; III 8: '(Praecoquos)'; IV 5: '(faciunt favos et vespae)'; IV 11: '(inflatus es utribus veteribus)'; IV 22: '(Oculos percutere)'; IV 40: '(Cur autem panem)'.

Si quis igitur, quae cum III. adv. Marc. libro haec capita conferentes exposuimus, universa consideraverit, minime cum Noeldechenio consentiet, sed hanc partem post illum librum neque a Tertulliano scriptam esse contendet. Nam multi loci, ut supra demonstravimus, nisi compilatoris cuiusdam errore non sunt depravati.

Cap. II.

De iis locis, qui in III. adv. Marc. libro non inveniuntur.

Jam vero ii loci considerandi sunt, qui a III. adv. Marc. libro discrepant:

I. Cap. 8. extrem. (II 719) iis, quae Tertullianus de Danielis prophetia IX 21—27 scripsit, haec addita sunt: 'Erat enim praedictum exterminari illic unctionem sicut est in psalmis prophetatum: Exterminaverunt manus meas et pedes. Quae passio huius exterminii ut adimpleri possent omnia, quae de eo fuerant scripta'. Hunc locum usque ad verba: 'quae passio huius exterminii' spurium esse suspicamur. Quomodo enim ex Ps. XXI 17 conicere licet, a propheta praedictum esse, unctionem testamenti veteris sublatum iri? (Corsen. l. c. p. 9. A.). Cetera vero cum aliis ex causis Tertulliano non abiudicamus, tum quod haec verba c. 10. extrem. (II 730): 'Nam quod in passione eius accidit, ut media dies tenebresceret, Amos propheta annuntiat . . . ' spectare videntur ad finem c. 8. 'ut adimpleri possent omnia, quae de eo fuerant scripta'.

II. Cap. 9. (II 725):

His verbis ‚Angelum quidem dixit eum ob magnitudinem virtutum, quas erat editurus . . . et ob officium prophetae nuntiantis‘ adiunctus est longior idemque minime necessarius de Joanne Baptista locus, quo totum enuntiatum dilaceratur. Nam quae postea sequuntur: ‚Sic et Jesus ob nominis sui futurum sacramentum‘ a verbis supra positis disiungi nequeunt. Quod verum esse etiam ex loco consimili adv. Marc. III 16 cognoscimus.

III. Cap. 10. init. (II 727):

Illud Deut. XXI 23 ‚Maledictus omnis, qui pependerit in ligno‘ ad Christum pertinuisse negatur *). Sed hoc et Gal. III 13 ‚Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: Maledictus omnis, qui pendet in ligno‘ et eis, quae Tertullianus ceteris locis de hac rescripsit, repugnat. Velut adv. Marc. I 11 (II 59): ‚Nam hoc turpius, si et mentitus est substantiam corporis, qui et maledictum in se creatoris admisit ligno suspensus‘. V 3 (II 281): ‚Cur autem Christus factus sit pro nobis maledictio, ipso apostolo edocente manifestum est quam nobiscum faciat, id est secundum fidem creatoris. Neque enim quia creator pronuntiavit ‚Maledictus omnis in ligno suspensus‘ ideo videbitur alterius dei esse Christus et idcirco a creatore iam tunc in lege maledictus. Et quomodo praemaledixisset eum creator, quem ignorat? Cur autem non magis competat creatori filium suum dedisse maledictioni suae quam illi deo tuo subdidisse maledictioni et quidem pro homine alieno? de patient. c. 8. (I 602): ‚Dominus ipse maledictus in lege est, et tamen solus est benedictus‘. adv. Prax. c. 29. (II 695): ‚Atquin blasphematis . . . ‘; de fuga in persecut. c. 12. (I 482): ‚(Ut autem redimas hominem . . . ‘).

Deinde haec causa, cur Christus cruci suffigeretur ‚non pro meritis suis in id genus mortis expositus est, sed ut ea, quae praedicta sunt a prophetis, per vos ei obventura implerentur‘ (adv. Jud. c. 10.), non apta esse videtur. Nos quidem Tertullianum S. Pauli verbis usum scripturum fuisse

*) Neque in l. testim. S. Cypriani hic locus invenitur.

putamus, Christum passum esse, ut homines ,a maledicto legis' redimeret.

IV. Finis c. 10. (II 730 sq.): ,Nam quod in passione eius accidit, ut media dies tenebresceret, Amos propheta annuntiat . . . ' germanus esse videtur. Scriptorem enim, postquam dixit ,ut adimpleri possent omnia, quae de eo fuerant scripta', commode prosequi putamus ,nam quod in passione eius accidit Amos propheta annuntiat . . . ' cf. p. 35. ad I.

V. Cap. 11. (II 731 sq.) affertur longus ex Ezechiele locus (VIII 12—18 et IX 1—6), quo haec disseruntur: Judaeos, quod idolis servierunt, non solum ,in isto saeculo, sed in die retributionis' poenas duros esse, neque quemquam nisi signo *T*, quo crux Christi significetur, liberatum iri. Quae quamquam ad Christum referenda sunt, tamen hic locum non obtinere et in hoc opusculo longe uberiora esse videntur. Praeterea Judaeos, quod Christum interfecerint, punitum iri, hic ne ulla quidem littera significatum invenitur. Fortasse scriptor haec propterea explanavit, quod adv. Marc. III 22 (II 153) illud Ezech. IX 4 legerat.

VI. His Ezechielis verbis (II 732) adiuncta sunt ea, quae ex c. 8. huius adv. Jud. libri sunt repetita. Quodsi ea fini c. 10. (cf. supra ad IV.) addideris, et illa de Danielis prophetia IX 21—27 disputatio commode absolvitur et ad caput subsequens (= c. 13. cf. p. 40.) apte transitur. Quare non est, cur hunc locum spurium esse putemus.

VII. Jam vero difficillimum est diiudicare, utrum totum c. 13., quatenus cum III. adv. Marc. I. non congruit, a Tertulliano scriptum sit necne. (cf. Corsen. I. c. p. 9.) In hoc enim capite legimus ,in Regnorum', cum ceteris locis libri testamenti veteris graece laudentur. Velut adv. Marc. III 20: ,in prima Basiliarum'; IV 14: ,in Basiliis'; IV 21: ,habes tertiam Basiliarum'; IV 23 et 28. Scorp. c. 3: ,in Arithmis'; de pud. c. 18: ,in proverbiiis Salomon, quae *ΗΑΡΟΙΜΙΑΣ* dicimus'. Praeterea mirum est hoc enuntiatum (II 737): ,Cur itaque post resurrectionem eius a mortuis, quae die tertia effecta est, caeli eum receperunt? Secundum prophetiam Osee emissam huiusmodi: Ante lucem surgent ad me dicentes: Eamus et revertamur ad dominum deum nostrum, quoniam ipse eripiet

et liberabit nos (Osee VI 1 et 2). Post biduum, in die tertia, quae est resurrectio eius gloriosa, de terra in caelos eum recepit, unde et venerat ipse spiritus ad virginem, cuius neque nativitatem neque passionem Judaei agnoverunt. Hoc loco scriptor de resurrectione et ascensione Christi simplicissime disputavit, quasi non eorum errores refelleret, qui vel praecipua doctrinae Christianae placita reicerent. An hac prophetia Christi resurrectionem et ascensionem esse annuntiatam Tertullianum probasse censes? Maximi autem momenti est, quod hic exponitur, Christum uno eodemque die a mortuis resurrexisse et in caelum ascendisse *). Quae opinio a Tertulliano aliena est. Conferas quaeso haec: Apol. c. 21. (I 203): „Sed ecce tertia die . . . nullis apparentibus discipulis nihil in sepulchro repertum est praeterquam exuviae sepulti . . . Cum discipulis autem quibusdam apud Galilaeam, Judaeae regionem, ad quadraginta dies egit docens eos quae docerent. Dehinc . . . circumfusa nube in caelum est receptus“. De bapt. c. 19. (I 639): „Exinde Pentecoste ordinandis lavacris laetissimum spatium est, quo et domini resurrectio inter discipulos frequentata est, et gratia spiritus sancti dedicata, et spes adventus domini subostensa,

*) Haud pigeat referre eandem opinionem esse in fragmento evangelii, quod secundum Petrum dicitur (cf. Eberhard. Nestle l. c. p. 70 sqq.) c. 9: „Τῇ δὲ νυκτὶ ἣ ἐπέφωσκεν ἡ κυριακή, . . . μεγάλη φωνὴ ἐγένετο ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ εἶδον ἀνοιχθέντας τοὺς οὐρα[ν]οὺς καὶ δύο ἄνδρας κατελθόντας ἐκεῖθεν πολὺ φέγγος ἔχοντας καὶ ἐγγίσαντας τῷ τάφῳ. Ὁ δὲ λίθος ἐκεῖνος ὁ βεβλημένος ἐπὶ τῇ θύρᾳ ἀφ' ἑαυτοῦ κυλισθεὶς ἀπεχώρησε παρὰ μέρος, καὶ ὁ τάφος ἠνοίγη καὶ ἀμρότεροι οἱ νεανίσκοι εἰσῆλθον“. cap. 10. „Ἰδόντες οἱ σιτραιωταὶ ἐκεῖνοι ἐξύπνισαν τὸν κεντυρίωνα καὶ τοὺς πρεσβυτέρους· παρῆσαν γὰρ καὶ αὐτοὶ φυλάσσοντες· καὶ ἐξηγουμένων αὐτῶν ἃ εἶδον πάλιν ὁρῶσιν ἐξελθόντας ἀπὸ τοῦ τάφου τρεῖς ἄνδρας, καὶ τοὺς δύο τὸν ἕνα ὑπορθεύοντας καὶ στανρὸν ἀκολουθοῦντα αὐτοῖς, καὶ τῶν μὲν δύο τὴν κεφαλὴν χωροῦσαν μέχρι τοῦ οὐρανοῦ, τοῦ δὲ χειραγωγουμένου ὑπ' αὐτῶν ὑπερβαίνουσιν τοὺς οὐρανοὺς . . . Καὶ ἔτι διανοομένων αὐτῶν φαίνονται πάλιν ἀνοιχθέντες οἱ οὐρανοὶ καὶ ἄνθρωπός τις κατελθὼν καὶ εἰσελθὼν εἰς τὸ μνήμα“. cap. 13. Mulieres, quae ad sepulchrum Christi venerunt „ὁρῶσιν ἐκεῖ τινα νεανίσκον καθεζόμενον . . . ὅστις ἔφη αὐταῖς· τί ἤλθατε; τίνα ζητεῖτε; μὴ τὸν στανρὸν ἐκεῖνον; ἀνέστη καὶ ἀπῆλθεν· εἰ δὲ μὴ πιστεύετε, παρακύψατε καὶ ἴδετε τὸν τόπον ἔνθα ἔκειτο, ὅτι οὐκ ἔνεστιν· ἀνέστη γὰρ καὶ ἀπῆλθεν ἐκεῖ ὅθεν ἀπεσιτάλη“.

quod tunc in caelos recuperato eo angeli ad apostolos dixerunt sic venturum, quemadmodum et in caelos conscendit, utique in Pentecoste⁴.

Nihilo tamen setius c. 13., quoad a III. adv. Marc. l. discrepet, excepto enuntiato ultimo Tertulliano assignare non dubitamus. Sermo enim Tertullianus esse videtur. Praeterea S. Justini cum Tryphone dialogi, quem a Tertulliano in hoc opusculo componendo adhibitum esse p. 9. vidimus, duobus locis admonemur. Conferas velim:

Adv. Jud. c. 13. (II 735):

„Hoc enim lignum (sc. passionis Christi) tunc in sacramento erat, quo Moyses aquam amaram indulcavit^{*)}).

Adv. Jud. c. 13. (II 736):

„Cum filii prophetarum super flumen Jordanem lignum securibus caederent (cf. II. Reg. 6, 1 sqq.), exsiliit ferrum, et mersum est in flumine atque ita Helisaeo propheta superveniente petunt ab eo filii prophetarum, uti ferrum flumini, quod mersum fuerat, erueret. Atque ita Helisaeus accepto ligno et misso in eum locum, ubi submersum fuerat ferrum, statim supernatavit, et lignum mersum est, quod receperunt filii prophetarum. Ex quo intellexerunt, quod Heliae spiritus in

S. Just. dial. c. 86. de Otto
l. c. p. 312:

„Καὶ ξύλον βαλὼν εἰς τὸ ἐν
Μερρῶ ὕδωρ πικρὸν ὃν
γλυκὺ ἐποίησεν⁴.

S. Just. dial. c. 86. de Otto
l. c. p. 314.

Ξύλον Ἐλισσαῖος βαλὼν εἰς
τὸν Ἰορδάνην ποταμὸν ἀνή-
νευχε τὸν σίδηρον τῆς ἀξίνης,
ἐν ᾗ πεπορευμένοι ἦσαν οἱ
υἱοὶ τῶν προφητῶν κόψαι ξύλα
εἰς οἰκοδομὴν τοῦ οἴκου, ἐν ᾧ
τὸν νόμον καὶ τὰ προστάγ-
ματα τοῦ Θεοῦ λέγειν καὶ
μελετᾶν ἐβούλοντο⁴.

^{*)} Haec verba alludunt Sirach 38, 5: „Nonne a ligno indultata est aqua amara?“ Cf. etiam S. Cyprian. de zelo et livore c. 17. p. 431. edit. Hartel.

eum sit repraesentatus. Quid manifestius huius ligni sacramento, quod duritia huius saeculi mersa in profundo erroris, et a ligno Christi, id est passionis eius, in baptismo liberatur, ut quod perierat olim per lignum in Adam, id restitueretur per lignum Christi.

Ὡς καὶ ἡμᾶς βαπτισ-
μένους ταῖς βαρυντάταις
ἁμαρτίαις, ἃς ἐπράξαμεν,
διὰ τοῦ σταυροῦ ἡναι ἐπὶ
τοῦ ξύλου καὶ δι' ὕδατος
ἀγνίσαι ὁ Χριστὸς ἡμῶν
ἐλυτρώσατο καὶ οἶκον εὐχῆς
καὶ προσκυνήσεως ἐποίησεν.

VIII. Cap. 14. (II 740) haec verba: „Nec poteritis eum Josedech filium dicere . . . nuncupatus est“ etsi ipsa per se haud inepte sunt dicta, tamen, quia quae antecedunt et sequuntur, spuria esse supra p. 20 sqq. ostendimus, reicienda sunt.

His ergo causis expensis eas partes, de quibus sub num. I. IV. VI. VII. disputavimus, praeter nonnullos locos genuinas esse putamus. Sed quo ordine sunt ponendae? Fortasse eundem sententiarum ordinem amplexari possumus, qui in codicibus manu scriptis invenitur expunctis iis, quae spuria esse vidimus. Est autem hic:

Illis verbis c. 8. extrem. (II 719): „Nam et unctio illic exterminata est post passionem Christi“ adiungenda sunt haec: „Quae passio huius exterminii intra tempora LXX hebdomadarum perfecta est sub Tiberio Caesare, consulibus Rubellio Gemino et Fuvio Gemino . . . ut adimpleri possent omnia, quae de eo fuerant scripta. Nam quod in passione eius accidit (II 730), ut media dies tenebresceret, Amos propheta annuntiat, dicens Post passionem enim Christi etiam captivitas vobis et dispersio obvenit, praedicta ante per spiritum sanctum. Itaque quoniam impleta est prophetia per adventum eius et passionem (II 732), propterea et Daniel signari visionem et propheten dicebat atque ita LXX hebdomadibus conclusis et civitate exterminata et sacrificium et unctionem exinde cessare“.

Post haec verba caput novum incipere videtur idque illud, quod II 734 inscribitur c. 13. Terminatur autem hoc enuntiatio: „Nativitatem autem eius quis enarrabit? . . . tolleretur a terra vita eius“. (II 737).

Corssenius vero verbis illis c. 8. (II 719): „Nam et unctio illic exterminata est post passionem Christi“ c. 13. addendum esse putat. (l. c. p. 9. A.). Quae capp. quin aptissime coniecti possint, dubitari quidem non potest; tamen, si res ita se habet, difficilius sit, eas partes cum c. 13. coniungere, quas germanas esse p. 35 sqq. vidimus.

Cap. III.

Num hae duae partes inter se conciliari possint.

Postquam igitur illas tres partes, ex quibus capita 9—14 constant, singillatim tractavimus, ea in universum, ut supra pag. 20. diximus, examinabimus. Hac enim ratione ea cum prioribus capitibus 1—8 non posse conciliari magis elucebit. Noeldechenius quidem „uncis“ aliisque „ligamentis“ (l. c. p. 27.) ea se coniunxisse confidebat. Sed in materia eligenda eum valde deceptum esse existimamus. Nam „unci“ eius ferrei quidem esse videntur, sed fragilissimi sunt. Velut Tertullianum hoc libro omnia tempora pervolassee (Noeld. l. c. p. 42.) videtur non recte dixisse. Illis enim verbis: „primi dies, medium tempus, novissimi dies“ in errorem est adductus, ut contenderet etiam Tertullianum tempora in aetatem antiquam, mediam, recentem distribuisse; antiquam autem „primis diebus“ significatam esse (adv. Marc. III 21), mediam ab imperatore Tiberio usque ad Vespasianum durasse (adv. Marc. III 23 et adv. Jud. c. 13.), recentem usque ad finem temporum, hoc est usque ad „millenium“ futuram esse.

Sed haec tria verba inter se non sunt opposita. Nam Tertullianum „primis diebus“ testamentum vetus, „novissimis diebus“ novum significasse, si quis eius scripta attigerit, facile intelleget. „Medium tempus“ (adv. Marc. III 23) illud est, quod Judaeis Christo interfecto concessum est, ut sceleris eos paeniteret. Noeldecheni autem opinionem et litteris sacris et rebus gestis repugnare ex multis locis Tertullianeis apparet. Conferas velim:

adv. Jud. c. 3. (II 706): „Ecce enim dies venient, dicit dominus et disponam domui Judae et domui Jacob testamentum novum . . .“ (Jer. 31, 31 sqq.). Unde intellegimus et

priorem circumcisionem tunc datam cessaturam et novam legem . . . processuram annuntiari, sicut Esaias (2, 2 sqq.) praedicavit, dicens, quod in novissimis diebus manifestus futurus esset mons domini

adv. Marc. III 21 (II 151): ,Ceterum allectio nationum a novissimis diebus exorta est. Iisdem verbis Esaias (2, 2 sqq.): ,Et erit, inquit, in novissimis diebus manifestus mons domini, utique sublimitas dei, et aedes dei super summos montes, utique Christus, catholicum dei templum . . . Inspice enim adhuc etiam ipsum introgressum atque decursum vocationis in nationes a novissimis diebus adeuntes ad deum creatorem, non in proselytos, quorum a primis magis diebus allectio est. Etenim fidem istam apostoli induxerunt'. adv. Marc. V 8 (II 297).

An novum testamentum ab imperatore Vespasiano initium sumpsit? Aut apostoli ante Hierosolyma deleta gentibus evangelium non praedicaverunt? Ergo ceteri Noeldecheni ,unci' has tam dissimiles partes coniungere non possunt. Neque enim eo quod in utraque parte ,Christus, qui venit' invenitur (Noeld. l. c. p. 51. sqq.), eas congruere satis probatur. Ipse finis quam non artificiose compositus sit, supra p. 33. diximus. Quod adv. Jud. c. 14. extrem. ,gens' et ,populus' idem valent, inde petendum est, quod Is. 55, 5 laudatur. Eadem verba etiam adv. Marc. III 21 leguntur, ubi non tantum valent quantum adv. Jud. c. 14. Tertullianum eis tribuisse putat Noeldechenius l. c. p. 35. sqq.

Inprimis autem altera pars a priore eo differt quod res saepe nimis copiose explicantur. Velut non miramur, quod Tertullianus, cum quinque libros adv. Marcionem scriberet, illud ,Priusquam cognoscat infans vocare patrem et matrem' adv. Marc. III 13 (II 138) figurate pronuntiatum esse, fusius ostendit; in hoc autem adv. Jud. libro c. 9. (II 720), qui ex 14 capitibus constat, eadem argumentatio longe uberior est.

Aequae offendimur, quod idem saepius repetitur. Nisi enim c. 12. spurium esset (cf. supra p. 20. sqq.), Tertullianus doctrinam Christianam iam ubique divulgatam esse, non solum c. 7., sed etiam c. 12. prolixè demonstrasset.

Denique, ut finem faciamus, Tertullianus ea capita, quae cum III. adv. Marc. l. non concinunt, antequam Montani doctrinam amplecteretur, composuisse videtur. Scripsit enim c. 8. (II 718): „Baptizato enim Christo, id est sanctificante aquas in suo baptismo omnis plenitudo spiritalium retro charismatum in Christo cesserunt, signante visionem et prophetias omnes, quas adventu suo adimplevit. Unde firmissime dicit, adventum eius signare visus et prophetias“ (Hauck. l. c. p. 88.). Cetera autem capita, cum post illos adv. Marcionem libros composita esse probaverimus, postquam Tertullianus ad Montanistas se applicaverat, scripta sunt.

Quodsi haec omnia complectimur, c. 9—14 exceptis iis locis, quos p. 35 sqq. germanos esse vidimus neque cum c. 1—8 conciliari neque Tertulliano adscribi posse putamus.

Huius igitur disputationis fructus ita brevissime colliguntur. Tertullianus librum adv. Judaeos scripsit, sed haec novem*) capita tantum, de quibus supra diximus, absolvit. Quid obstiterit, quominus librum ad finem perduceret, quod nihil omnino memoriae proditum est, enucleari nequit. Quod Hauckius (l. c. p. 99.) suspicatur Tertullianum, cum adv. Judaeos scriberet, ecclesiae Carthaginiensis sacerdotem electum gliscentibus negotiis prohibitum esse, quominus opusculum continuaret, illud quidem credi, sed non probari potest. Hoc igitur opus inchoatum aliquis, qui Tertulliani scriptis operam dabat, perficere sibi proposuit. Et profecto nullo negotio id facere potuit. Nam Tertullianus III. adv. Marc. libro Marcionem, qui eadem fere atque Judaei Christianis obiecerat, una cum Judaeis refutaverat. Sed compilerator multos locos, cum eos non recte intellexeret, valde depravavit et interdum aliquid ex suo ingenio inepte addidit. Fortasse libro iam

*) Ubi finem c. 9. esse putemus supra p. 40. ostendimus.

nonnullis locis corrupto est usus. Unde factum est, ut c. 9—14, quae Tertulliani nomine posteris tradita sunt, ab eo aliena essent et a prioribus capitibus multum discreparent.

Quando autem continuator haec fecerit, non satis liquet. Sed non ita multo post Tertullianum id factum esse verisimile est. Nam Euagrius quendam initio, ut videtur, saeculi quinti post Chr. n. cum ex aliis fontibus tum ex hoc libro, qualis nunc est, in „Altercatione Simeonis Judaei et Theophili Christiani“ componenda hausisse demonstravit Corssenius (l. c. p. 18 sqq.).



I n d e x.

Prooemium.

Pars I.

De cap. 1—8 disputatio.

	pag.
Cap. I. De veterum testimoniis	7
Cap. II. De causis ex ipso libro petitis	8

Pars II.

De cap. 9—14 disputatio.

Cap. I. De iis locis, qui cum III. adv. Marcionem libro congruunt	20
Cap. II. De iis locis, qui in III. adv. Marc. libro non inveniuntur	35
Cap. III. Num hae duae partes inter se conciliari possint . . .	41

Conclusio.





